(3.)

SACERDOS

PAROECIALIS

Burton (John) D.D.

RUSTICUS.

Auctore Joanne Burtono
olim CCC hodie Collegij Etonensis
Socio

OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO,
Impensis *Jacob. Fletcher* Bibliop. OXON.
Prostat apud *J. Rivington* & *J. Fletcher* Bibliop. LOND.
MDCCLVII.

18
57
SEP

CLERICO LECTORI

S.

SCriptor Patronum quæro, Sacerdos Paræcialis Epiſcopum; & quidem eum, qui officia, quæ deſcripſi, ſacerdotalia non ſolum pro imperio & autoritate ſuis præcipit Epiſcopus, verum etiam re ipſa præſtat, & exemplo commendat, ipſe etiamnum Sacerdos Paræcialis. — Vide quorſum noſtra tendit ambitio.

Sed, ubi quæram, ubi inveniam, rogas? profecto nihil eſt tam prope tam proculque: habeo quem præ cæteris indigitem, quem deſignem oculis. Illum certe Oxonienſes *noſtri, ad quos adminiſtrationum fructus pervenerint, non inviti recognoſcent.*

Equidem hæc noſtra qualiacunque in lucem publicam venire facile patior, quæ tibi aliquatenus uſui aut oblectamento eſſe poſſint; maxime vero, cum in illa materie ornanda verſentur, quam rei publicæ cauſa cupio eſſe colendiſſimam: Neque ſane ea te illubenter lecturum puto, quæ à laudibus tuis haud aliena eſſe intellexeris. Illud certe efficere ſedulo ſtudui, ut Perſonis Rebuſque ſacris ſua non modo dignitas & reverentia conſtaret, ſed etiam aliqua nitoris atque venuſtatis externæ gratia accederet: atque adeo ut Sacerdos noſter Paræcialis, quaſi rubigine ruſtica ſordibuſque abſterſis, ornatu plane novo & poetico indutus, in hominum celebritatem aliquanto commendatior acceptiorque prodiret.

Porro

Porro Sacerdos hic Paræcialis occaſionem ſibi haud incommode oblatam videt, ut de Diæceſano ſuo, & quidem abſente, ea quæ vellet quæque ſentiret, ſuo more libere palamque profiteretur: ut extaret aliquod non tam amicitiæ & benevolentiæ privatæ quam pietatis cujuſdam publicæ teſtimonium; ut nempe, tanquam voce publica, communem Cleri noſtri Oxonienſis *gratulationem prædicaret, per annos jam viginti eum nobis Epiſcopum præfuiſſe, quem Diæceſes cæteræ nobis jure inviderent, in Eccleſia adminiſtranda tanta cum diligentiæ, ſanctitatis, moderationis, & benignitatis laude verſatum, ut quoquo modo decedens bonis omnibus ingens ſui deſiderium ſit relicturus.*

Nefas foret virum talem in cauſa hujuſmodi prorſus illaudatum præterire, plura vero officioſe ingerere moleſtum. Quod ſupereſt, ut in commoda publica illum diu incolumem florentemque tueatur Deus, utque Clero Oxonienſi *virtutum tantarum lumen non fruſtra præluxiſſe videatur, tecum una voti haud ſterilis officio comprecatur*

JOHANNES BURTON,

de *Maplederham* in Com. Oxon. Vicarius.

SACERDOS PAROECIALIS
RUSTICUS.

SOcratem Ariſtophanis mordax jocus atque venenum
Perdidit, inſontem riſu damnante popelli:
Non Pietas, non, qua jampridem ſidera adibat,
Laus Sophiæ, teſtiſve reum ſervavit Apollo.
Te quoque, te, dilecte Deo, venerande Sacerdos,
Hiſtrio te petulans male ſalſo perdere riſu
In ſcenam trahit, & mores habitumque maligno
Scommate perſtringens in ludum ſeria vertit
Sacrilegus, ſocco peccans impune profano.
Ecquis erit vindex qui nominis hujus honorem
Aſſerat? — O, noſtræ merito pars maxima famæ,
Alma Sacerdotis nutrix, Rhedycina, futuri,
Tu mihi materiem geniumque accende canenti
Laudibus haud aliena tuis: Eccleſia quando
Prole tua gaudens cognatos jactat honores;
Sume animos: ſunt hic etiam tua præmia laudi.

Aſpice, quos olim foviſti mater alumnos,
Aſpice Patronos & te mirator in Illis.
En! quoties feſtos inſtaurat Muſa triumphos,
Ille, theatralis pars non ingloria pompæ,
Noſter adeſt, placido venerabilis ore Sacerdos:
Gaudet adhuc priſco ſtudii juvenilis amore,
Muſarumque Choris, & pleni laude Theatri.
Ecce redux longo poſt tempore viſit Athenas,
Agnoſcitque libens veteres vetus hoſpes amicos,
Priſcarumque nova lætatur imagine rerum:
Miranti ſimilis caſtigantique recentis
Luxuriem ſæcli Collegia nota pererrat;
Singulaque explorans capitur novitate locorum:
O fortunati quorum jam mœnia ſurgunt!
Sive operoſa magis Gothici monumenta laboris
Suſpicit, admirans antiquæ laudis & artis
Mœnia — & "O mihi poſt nullas memoranda ſorores,
Illa Domus, quæ me ſeptennem vidit Alumnum!"
Ut mira tactus dulcedine ſingula luſtrat,
Præcipue gaudens ſua quondam tecta ſubire,

19 Comitiorum tempore. 24 Academiam inviſens. 34 Collegium præcipue ſuum.

Et

Et notos habitare lares! ibi priſca recenſet,
Multa ſuper ſociis recolens & Præſide multa,
Et Promo ſuper, atque Coquo veterique Culina,
Et — quorum pars magna fuit — juvenilior ætas
Juſſa redit: vitamque juvat renovare priorem.
Talis adeſt, noſtros præſens ornare triumphos,
Publica veraci commendans gaudia plauſu.
Non Illo melior quiſquam nec amantior hoſpes
Te ſtudio potiore colit, Rhedycina; viciſſim
Huic Tu, ſiquis honos Pietatis amorque Decori,
Huic affunde decus capiti, famamque tuere
Illæſam, ſacra præcingens tempora lauru.
Et Tu, Muſa, pio longum deſueta labori
Degener & laſciva, parumper caſta reviſe
Limina Templorum, & mecum pete ſeria rerum,
Materiemque novam: ſed quam laudaverit ipſe
Chaucerus, quanquam Monachos vexaverit hoſtis
Mordaci Satira. — nec erit te dignior ulla,
Quam quæ præſcribit reverendum pagina nomen.
Si dederit primus tibi vocem artemque Sacerdos,
Carminibus celebrans laudes hominumque Deûmque;

Huic artem vocemque memor, ſua dona, repende,
Semper honoratum ſervans in ſæcula nomen.
O felix ſtudii, qui non ingloria ruris
Otia tutus agit, procul ambitione metuque!
Qui recolens quicquid dignum ſapiente bonoque
Providus æternæ meditatur ſeria vitæ,
Gaudia deſpiciens peritura; — Deoque vocanti,
Cujus ſacra gerit magno lætatus honore,
Impendit curas, animamque relinquit in aſtris.
Non Illum potuit Siren damnoſa Voluptas
Flectere, non miſeros agitans Diſcordia cives,
Nec maleſuadus Honos, nec lucri prava Cupido:
Sed Pietas, cœlumque Fides amplexa remotum
Ad majora vocat, Fortunam dona ferentem
Subjiciens pedibus rigidique pericula fati,
Atque alio patriam monſtrans ſub ſole jacentem.
Felix qui, late turbantibus æquora ventis,
Civiles tuta proſpectat ab arce tumultus,
Immunis culpæ, ſimul immuniſque pericli!
Cætera ſecurus ſancto vacat uſque labori,
Sedulus & populo prodeſſe, Deoque placere.

65 Sacerdotis Ruſtici laus generalis.

Hanc

Hanc olim in terris vitam Gilpinus agebat,
Hanc Hookerus, & hanc divino carmine Paſtor
Herbertus: tum Tu, ſtatica mirabilis arte,
Naturæ verique ſagax interpres, Haleſi,
Contemptor famæ, non illaudatus abibis.
Te, venerande, ſequor non inter limina regum,
Qua ſtupet inſanis acies fulgoribus aulæ,
Te per rura ſequor, tua regna, inopumque tabernas:
Qua vocat ægroto metuens ægrota marito
Uxor, opem medicam non uno nomine poſcens;
Tu mentem ſano firmas in corpore ſanam
Corda fovens, lapſiſque doces confidere rebus.
Seu Te Templa vocant, te nos ad Templa ſequemur:
Paſſus Muſa tuos læto comitatur honore
Per variæ pietatis opus ſeriemque laborum,
Summa minutatim carpens faſtigia rerum.

O Cæli Terræque parens hominumque Deûmque!
Te Deus, antiqua te relligione colendum,
Septima quæque dies agnoſcit, & uſque recurrens
Convocat indutos meliori veſte Colonos.

Ecce inter medios placida gravitate ſeverus
Preſbyter incedit, late diſtinguit honeſtum
Circumfuſa caput venerabilis umbra Galeri,
Sanctaque pullatum Reverentia cingit amictum.
Alta quies, ſtrepitu ceſſante, Pudorque decorus
Dejecto tacitos comitatur lumine greſſus.
Obvius abnormes ultro meditatur honores
Ruſticus, oblique nudato vertice nutans;
Ipſe etiam, torvus qui cætera deſpicit, illum
Armiger alloquitur prior, atque aſſurgit eunti.
Jamque ſacrum limen premit; en ſubſellia rauco
Conſurgunt plauſu, mentemque auremque paratam
Excitat arguto Campanula tinnula pulſu.
Jam redit ex adyto candenti clarus amictu,
Facundaſque manus & conſcia lumina tollens,
Compoſito geſtu ſpectabilis, ora reſolvit
Plena Deo, peragens præſcriptos ordine ritus.
Quiſquis ades, tu macte nova pietate, parumper
Exue mortales curas, & te quoque dignum

106 Proceſſio ad Eccleſiam. 114 Ingreſſio. 117 Præparatio. 121 Adhortatio.

Finge

Finge Deo. — Vitiis nunc excute pectus onuſtum,
Conſcius, oſtendens tibi te: peccata fateri
Ne dubita, atque oneris magnam deponere partem,
Triſtia ſuffuſus generoſo corda pudore:
Te — tua crede Deo, & veniam ſpe præripe certa.
Audin'! ut attentum lætabilis exit in aurem
Pacati vox illa Dei, recitante miniſtro,
Æterna dubiam ſolvens formidine mentem?
Ergo age fidenter ſupplex in vota preceſque
Ire para, & Chriſti dictantis verba magiſtri,
Verba Deo placitura, hæc mecum rite perora:
O Pater humani generis, qui numine Cælum
Illuſtras præſens, tibi ſancti nominis uſque
Conſtet honos, ſceptrique decus: tua regna triumphent,
Et nova pacato ſurgat gens aurea mundo.
Ne mea me trahat in vetitum maleſuada libido,
Tu mihi Rector ades: tua mî pro lege voluntas
Imperet obſequium, cæleſtes quale miniſtri
Semper amant præſtare. Caducæ pabula vitæ,
Sufficiat panem tua cura diurna diurnum.
Da veniam, Judex, peccata fatentibus ultro,

123 Confeſſio. 128 Abſolutio. 134 Oratio Dominica. *Debi-*

Debita ſic ut nos aliena remittimus ultro.
Infirmis ſuccurre; aut ipſa pericula pelle,
Invictoſve malis ſerva. Sic omne per ævum
Semper honos, regnumque tuum laudeſque manebunt.

Hæc genibus flexis, animoque & voce decenter
Supplice. — Nunc ſubito ſubſellia ſurgere niſu
Et læto videas cum murmure cuncta moveri,
Et populo plaudente ſacrum Pæana ſonare.
En jubet exultare, Deique ornare triumphos
Rex idem & vates, divini carminis autor,
Jeſſides: auſus terras nubeſque volatu
Pluſquam Pindarico tranſcendere & ardua Cœli,
Miſcerique choris ſuperûm, melos audiit Ille
Angelicûm, citharamque modos ediſcere juſſit,
Inſtituitque Choros: Illi Natura canenti
Præſentem teſtata Deum conſurgit, & omni
Prole Creatorem Servatoremque fatetur,
Divinas celebrans elementa per omnia laudes.
Ergo age, Davidis numeros animoſque ſecutus,
Digna Deo meditare, Deo vectigal honoris
Et grates ſolvens hoc mecum concine carmen.

O Anima, æterni laudes meditare Parentis:
Admirande Deus! te veſtit fulgor opacans
Lucis inacceſſæ, & diffuſo gloria tractu
Irradians ſacro prætexit numen amictu.
Tu, cortinæ inſtar, ſinuoſos ætheris orbes
Evolvis, fluidumque jubes diffundere cælum.
Tu dociles ventos revocanti flectis habena
Non auriga piger, vectuſque jugalibus alis
Nimborum cæli ſpatio decurris aperto:
Hinc glomerantur & inde Miniſtri, lucidus ordo,
Lucidior flammis, volucrique citatior Euro;
Fulguraque & nimbi peragunt mandata Tonantis.
Omnipotens opifex poſuit fundamina terræ
Ponderibus librata ſuis: illa omne per ævum
Perſtitit, & perſtabit in omne immobilis ævum.
Olim ſubter aquas latuit circumflua tellus;
Spumea ſubjectos texerunt æquora montes:
Increpuit Pater altitonans; perterritus audit
Oceanus, trepidanſque retro fugit omnibus undis;
Illæ indignantes magno cum murmure terræ

165 Pſalm. 104.

Circum clauſtra fremunt; at, Te moderante, quieſcunt
Illico, & objectum metuunt tranſcendere littus.
Altior emergit montano vertice tellus,
Depreſſas ſenſim mirata reſidere valles,
Plurimaque è clivis tacito ſtillantia lapſu
Per riguos paſſim decurrere flumina campos:
Huc ſitiens pecudum genus omne ad pocula tendit,
Quotquot ager vel ſylva tenet; ſtat plurima circum
Populus, hoſpitium volucrum, per frondea tecta
Fit ſtrepitus, tremulumque perambulat æthera carmen.
Tu, Deus, in terram deſcendens humidus, omnes
Magnus alis, magno commiſtus corpore, fætus.
Denſatæ pluvia ſtillant pinguedine nubes,
Seminaque in florem fœcundans evocat imber:
Herba frequens hominum pecudumque vireſcit in uſus,
Arvaque flaveſcunt Cerealia pane futuro,
Unde novæ redeunt vires mortalibus ægris:
Incluſo rubet uva mero, comes uva jocorum,
Solliciti præſens animi depellere curas:
Ornat oliva dies feſtos, nitidumque ſerenans
Explicat in riſum contractæ ſeria frontis.

Ecce

Ecce inter ſylvas, genitali vivida ſucco,
Frondoſum, tua cura, cedrus Libanitica tollit
Læta caput, panditque volucribus hoſpita ramos;
Atque abies juxta ſimiles frondeſcit in uſus,
Qua ſtruit aerium paritura ciconia nidum.
Te, Deus, intonſi montes te ſaxa loquentur
Præſentem, dum montis amat juga pendulus hircus,
Saxorumque colit latebroſa cuniculus antra.
Auſpice Te variæ revolubilis orbita Lunæ
Tempora diſtinguit, certoque errore vagatur,
Et memor Heſperio properat ſol æquore tingi:
Tum nox circumfuſa nigrantibus incubat alis;
Tum ſpelæa Feræ per opaca ſilentia linquunt,
Tum leo prædator per aperta, per avia ſylvæ
Suppliciter vehemens impaſto murmurat ore,
Debitaque expoſcit metuendo pabula queſtu.
Sol oritur: ſylveſtre retro genus ordine longo
Decedens antris immania terga reſolvit.
Inde Homini cum luce redit labor actus in orbem;
Donec ſera quies, grata vice noctis obortæ,
Solatur curas & corda oblita laborum.

O! quæ finxit alitque hoc rerum quicquid ubique eſt
Omnipotens Ratio, & Caſu prudentia major!
Alme Parens, en plena tuis hic omnia rident
Muneribus, late varios tibi dædala tellus
Submittit fructus, magnaque ſuperbit opum vi!
Seu Deus immenſi venias maris, — en tibi ſurgit
Oceanus Domino; tibi ſurgunt omnibus undis
Æquora, ſquamigeræque, informia corpora, gentes
Cæruleis ſtabulant thalamis, ſubjectaque paſſim
Mirantur per dorſa leves volitare carinas:
Hic fremitu ingenti circum balæna refuſas
Miſcet aquas ſaliens, liquidoque in turbine ludit.
Te pecudum, quot pontus habet, quot terra, parentem
Infans ordo vocat, pendetque foventis ab ore,
Suavia delibans altricis munera curæ:
Extemplo nova vis vegetos infuſa per artus
Diditur, & ſaturos pertentant gaudia ſenſus.
O Deus! ipſe tuo Naturæ animatur ab ore
Spiritus: ah! quoties hunc ſubtrahis, illa fatiſcit
Ægra, & alumnorum, nequicquam læta, propago
Interit, in cinerem fato revocante priorem:

At

At ſimul exanimes afflaverit halitus artus
Ille tuus, decus oſtentat Natura renatum;
Ecce animæ incipiunt in corpora velle reverti,
Et rediviva novo ſurgit gens aurea mundo.
At tibi ſtabit honos perituri neſcius ævi.—
Ah! bonus & facilis manuum monumenta tuarum
Reſpice; nonne vides oculi quàm torva tuentis
Terra truces quaſſo fundamine pertimet iras?
Parce gravi metuende manu! jam tacta ſequaces
Per juga prorumpunt nebulæque & fumeus horror.
O! mihi dum maneat vitali ſpiritus ævo,
Dum memor ipſe mei, votivo carmine laudes
Lingua Dei recinet, grato fruitura labore.
Sic, ubi divulſa compagine corruit orbis,
Impiaque inſtantem formidant ſæcula cladem,
Tu mea tunc inter labentis fragmina mundi
Servatore Deo fidens, ſecura ſedebis
O Anima, æternumque canes æterna Parentem.
Biblia panduntur. — Sunt qui formidine nulla
Imbuti ſpectent? — O rerum quicquid ubique eſt,
O Cœlum Telluſque, Jehovam audite loquentem!

Sic Præco, veluti demiſſus ab æthere, vates
Iſaias præfatur, & ore ſilentia rumpit,
Ore repurgato, cui fulgidus ales ab aris
Candentes olim correptas forcipe prunas
Admovit Seraphus, & intima corda ſubegit,
Et docuit magnumque loqui, venturaque fata
Pandere, res cœlo merſas & luce profunda.
— Talis eras, Iſaia. — ſed O! tua ſcripta legenti
Quis Seraphus adeſt admoto cælitus igne
Inſpirans animos, purgataque labra reſolvens?
Ne meus hac peccet deceptus parte Sacerdos
Prava ſequens exempla, Deoque indigna loquatur;
Vel cunctanter humi ſerpens, vel inania captans
Nubila: grandiloqui ſed mentem animumque Prophetæ
Arripiat transfuſum, & ſenſibus hauriat imis,
Pectoris interiora petens, & ſe quoque fingat
Afflatum propiore Deo. — Sic denique juſſam
Dicta fidem faciunt, & habet facundia laudem.
Tunc Ego, magnarum diſtentus imagine rerum,
Tecum una, vates divine, per ardua cœli

270 Iſaias C. 6. 279 De legendi modo præcepta.

Cœlorumque

Cœlorumque rapi videor, cedentia retro
Sidera ſubjiciens pedibus, ſolemque minorem.
Ah! ne magniloquæ violetur gloria linguæ!
Nec ſibi diſſimilis, dum perditur ore legentis,
Languida fraudatam ſententia deſerat aurem!
O tua vivida vis atque entheus excitet ardor
Dictantem tua verba! & te tibi reddat, eundem,
Qualis eras, cum Luciferum de culmine cœli
Labentem, maneſque Erebi de ſedibus imis
In partes rapiens Babylonia fata canebas:
Aut, cum, venturi lætatus imagine ſæcli,
Aurea Meſſiæ naſcentis regna docebas
Surgere, & æterna florentes pace triumphos.
Sic meus orator dicendi quærat honorem:
Non, ut rhetorica ſpectabilis arte theatris
Invideat, magnoque leves cum pondere nugas
Proferat in ſcenam, populumque oblectet hiantem,
Voce manuque loquax, & plauſum captet inanem:
Verum ut id omne Deo ſubmittat quicquid & artis
Jactat & ingenii, divinaque verba decoro
Conſcius ore ſonet, ſecernens ſacra profanis,

296 Iſai. C. 14. 300 C. 60 & paſſim. Majo-

Majoreſque animos attollat, & imperet auri:
O laus eloquii, qua non præſtantior ulla,
Digna Deo recitare, atque emphaſin addere dictis!
Hactenus Iſaias, reverenda ſilentia ſuadens,
Occupat attentos. En læto cuncta triumpho
Jam reſonant, populique choro comitante viciſſim
Hic rite alternis celebratur vocibus hymnus.
Votiva te laude Deum, te rite potentem,
Te colimus Dominum: te linguis omnibus omnis
Æternum tellus veneratur grata Parentem:
Te Cæli chorus omnis, & Angelici comitatus
Carmine perpetuo gaudent celebrare; Cherubin
Te recinunt Seraphinque, una magno ore ſonantes
Sancte Deus, ter ſancte Jehova, Deus Sabaoth!
En! quacunque patet Tellus Cælumque profundum,
Divinos famulans Natura fatetur honores
Numine plena tuo. Te nobilis ordo, Prophetæ,
Agmen Apoſtolicum, &, vitæ bene prodiga turma,
Martyres, atque animæ Sanctorum, & quicquid ubique eſt
Gentis Chriſticolæ, magnum quæ ſparſa per orbem,
Te, Pater, immenſa te majeſtate verendum,

317 D. Ambroſii Hymnus. *Et*

Et te, Nate, Patris verum de lumine lumen,
Teque ſimul, Paraclete, (triunum numen) adorant.
Circumfuſa ſuum te veſtit Gloria Regem,
O Chriſte; æternum magni Patris incrementum!
Tu tamen, humanæ miſerans incommoda gentis,
Sponte Redemptor ades, mortali ſanguine natus,
Mortalis, caſtæ conceptus Virginis alvo:
Tu moriens domita miros de morte triumphos
Victor agis. — Medium video diſcedere cælum,
Feliceſque domos aperiri & regna Piorum:
Illic tu parili ſublimis numine fulges,
Chriſte Deus, cum Patre Deo. — Te credimus olim
Viſurum ſacro purgatas ſanguine terras,
Et formidandi reveremur Judicis ora.
Sis bonus O felixque Tuis! & honore perenni
Diſcretos aſcribe beatis ſedibus, inter
Plaudentes Sanctorum animas, atque agmina Divûm.
Nos O, ſiqua tui ſubeat te cura peculî,
Dirige, conſerva! tibi gratum ſemper honorem
Quælibet orta dies perſolvet, & ultima longe
Laudandum recinent volventia ſæcula nomen.

Hunc ſaltem duce te, ſiquid pietate meremur,
Immunem ſceleris liceat decurrere ſolem:
Parce, O parce pio generi, miſerere Tuorum:
Omnis ſpes noſtra & cæptæ fiducia vitæ
Auxilio ſtetit uſque tuo: miſerere Tuorum;
Adſis O! trepidiſque ſalutifer eripe rebus.

Et jam cuncta ſilent: en pagina ſacra loquentem
Exhibet ore Deum: non, quo de vertice montis
Sinæi, media nimborum in nocte, profundo
Cum tonitru & clangore tubæ, flammaque ſequaci
Fulguris, exanimi dictabat jura popello
Altitonans: jam tum ruere omnia viſa repente,
Et trepidare vagi quaſſo fundamine montes,
Ipſe etiam Moſes proſterni corda pavore.

At quam lene ſonans Evangelici Præconis
Vox audita ferit placida dulcedine ſenſus,
Pacem lætitiamque ferens mortalibus ægris?
Qualis vere novo deſcendens cælitus imber
Irrigat arentem pluviali nectare glebam:
Aut tacito lapſu nocturni guttula roris
Recreat effœti morituram graminis herbam:

Talis adeſt, talem ſeſe demiſſa per aures
Mentibus inſinuat mitis ſapientia Chriſti,
Melle fluens, oleoque animi penetrante medullas.
Quiſquis es, hæc recitans ades O! mihi ſæpe monendus:
Ipſum Te reverere, Deum reverere loquentem
Ore tuo. — tibi quis meditanti talia ſenſus?
Nonne ardent tibi corda pio ſuffuſa calore,
Præſentem confeſſa Deum? — Quid? lingua, recepti
Interpres ſensûs, quo more modoque regenda,
Nunc ſtimulos nunc fræna vocans, ut conſona voci
Reſpondens avidam ſententia repleat aurem?
Ut neque vis, neque honos dictis neque gratia deſit?
Hæc tacitos audire, infixaque cordibus imis
Verba decet mandare. — Vocat nunc altera cura:
Ecce iterum feſtum vocat ad Pæana canendum
Jeſſides, totumque in gaudia conciet orbem:
O omnes gaudete Deo duce & auſpice, Terræ:
Huc O! adeſte, Deo meritas perſolvite grates,
Dulce miniſterium perſolvite; & atria circum
Carmine lætiſono ſacros celebrate triumphos!

387 Jubilate.

Quid facies averſa, & non ſine ſupplice geſtu
Et graviore tono ſubmiſſæ murmura vocis?
Sacra quid iſta volunt? en! dogmata myſtica captu
Mortali majora, quibus cæleſtis origo,
Quæ non Socraticæ poterant oſtendere chartæ!
Hæc venerabundus purgatis auribus audi,
Hæc adhibe credenda, Deumque agnoſce triunum.
Quiſquis es, O! Chriſti de nomine nomen adeptus,
Nunc te diſcipulum Chriſti profitere magiſtri;
Primævam profitere fidem, miranda relatu,
Digna autore Deo myſteria: qualia et ipſi
Cælicolæ venerantur, inexpletoque tuendi
Incumbunt deſiderio, longeque verendum
Fontis inacceſſi de lumine lumen adorant,
Mortales viſus nimio fulgore perurens.
O mundi victrix, animis illabere noſtris
Omnipotens ratio, & ſenſu ſapientia major,
Cælitus orta, fides: tu diffita jungere præſens
Intervalla locorum, & nondum viſa videre:
Incertæ dux certa viæ: tu, lumen Abramo
Prætendens longe peregrina per arva vaganti,

395 Fidei Chriſtianæ profeſſio. Pro-

Promiſſis ultro docuiſti fidere rebus,
Oſtendens patriam meliori ſole calentem.
Nos quoque, nos Patris veſtigia rite ſequentes,
Ignotæ per opaca viæ tu dirige præſens
O cæleſte jubar, dubiæque crepuſcula lucis
Irradians, patriæ cæleſtis operta reclude;
Da propius prenſare retro cedentia regna,
Et nova venturi præſumere gaudia ſæcli!
Quod ſupereſt, genibus flexis & corde ſubacto
Rite Deum venerare, precum laudumque benignus,
Dona recognoſcens accepta, petenſque futura.
Sic divina tuæ trino de numine triplex
Cælitus allabens aſpiret Gratia menti!
Finierat jam vota perorans rite Sacerdos.
Ecce chori præcentor, acuta voce miniſter
Officioſus, ad egregios accingitur auſus
Miraque proludens Davidis præcinit hymnum:
Crebreſcit ſenſim ſublatus ad æthera clamor,
Multaque ſufflati crepitat facundia Naſi.
Parcius O ſacrum cantando perdite carmen!
Diſſona nec teneram Pſalmodia vulneret aurem!

O tua cantanti, Jeſſide, ſpiritus adſit
Ille tuus! tum vox divinior altiſonanti
Reſponſura lyræ, quæ me mihi ſurripit, omnem
Auribus inſtillans animam ad cæleſtia raptat,
Immiſtumque Choris Superûm, contemnere terras
Edocet, Angelicaque ſonorum veſcier aura.
Surſum oculos et corda, Viri; nunc Roſtra diſertus
Occupat interpres divinæ mentis, ab alto
Nil mortale ſonans, opera vehemente miniſter:
Sive, mali prima repetens ab origine labem,
Humani generis ſortem miſeratur acerbam:
Sive redemptorem, tenebris ceu lumen obortum,
Cælitus oſtendens nigrantes diſcutit umbras:
Infenſumque novo placatum fœdere numen
Exhibet, atque hominem fato meliore renatum:
Seu deſcripta notat civilis munia vitæ,
Et dubias lites componit, et arbiter æqui
Quid fas atque nefas, quid turpe quid utile monſtrat,
Flexanima ſtupidos obteſtans voce Colonos:
Diſcite juſtitiam moniti; trepidate ſceleſti,
Exultate Pii; diverſi fata coloris,

Et lethum vitamque gerens, affectibus ille
Imperitat, non vana docens, in utrumque paratus
Arbiter eloquii, ſedes aperire beatas
Seu velit, & promiſſa perennis gaudia vitæ:
Sive Acheronta movens gravidas terroribus omnes
Pœnarum facies et inexorabile fatum,
Ultriceſque arceſſat in ipſo limine Diras.
O ſuadela potens! O Rhetoris arte profani
Major & ingenio facundia! cedite Graii,
Cedite Romani; priſcis incognita ſæclis,
Materies en ipſa novas animoſa miniſtrat
Eloquii vires, & non imitabile pondus,
Et vigiles oculos & corda ſequacia raptans.
Quare agite, & proprios animarum diſcite cultus,
Agricolæ, & fructus melioris reddite vitæ.
Finis adeſt. Vario muſſant rumore Coloni;
Crebra perorantem tacti ſuſpiria cordis,
Murmuraque & fremitus, ſimul ipſa ſilentia laudant.
Nunc animis opus arrectis, nunc pectore puro:
Grande miniſterium! procul O procul eſte profani!
Quo ſecretus abit? quæ tanta remotus ad aram

Cælituum veneranda Choris miracula promit?
Hebræus veluti ſanctorum ſancta Sacerdos
Annuus ingreditur: longe veneratur euntem
Exterior reſidens ſuſpenſo corde popellus;
Dum metuenda Deo præſente ſedilia circum
Hinc atque hinc geminus prono ſuper ore Cherubin
Pendet, adoranti ſimilis ſimiliſque timenti,
Sacraque prætenſis obvelat myſtica pennis.
Non ego tanta meis myſteria verſibus auſim
Amplecti; non ſi mihi mens divinior, atque os
Magna ſonans, atque Angelicæ vox æmula linguæ.
O mihi tum preſſis attenta Silentia labris
Invigilent circum, dum ſupplice fuſus ad aram
Vota facit geſtu; generiſque piacula lapſi
Mira repræſentans placabile numen adorat!
Quam mihi tum placida trepidat formidine pectus,
Primævæque animum ſtringit pietatis imago?
Te ſequor O! quocunque vocas, divine Sacerdos,
Tu cor finge docens, et me rape in æthera tecum!
O pluſquam mortalis honos! hominemque Deumque
Inter, homo medius cœlum terraſque remiſcet,

Legatus

Legatus gemini peragens commercia mundi.
Myſtica quid referam ſacrati dona lavacri,
Infantemque recens abſterſa ſorde renatum?
Hæc ego tum mecum preſſis agitare labellis:
O ego qualis eram? vitam mihi redde priorem,
O Pater, infantemque novato corde refinge,
Qua licet, immunem culpæ: ſic itur ad aſtra.
Ecce Catechiſtes humili ſermone tenellis
Os balbum format pueris animoſque, docetque
Et ſapere et fari. Sacro de codice ſumpta
Dogmata proponens, digitoque notante ſequaces
Attrahit inculcans oculos; ſtat parvula pubes
Expectans monitus, pendetque docentis ab ore,
Præſcriptas iterans voces et non ſua verba:
Dulces blanda ſonos inhianti devorat ore,
Et mirans docili matertera plaudit alumno.
O quantum eſt teneræ pietatis ſemina menti
Indere, Chriſtiadumque futuram condere gentem?
Ne mihi jam libeat mirari Rhetoris artem
Urbani, qui magna ſonans, plaudente popello,

499 Baptizatio. 505 Catechizatio.

Aſtruit inſidias deluſæ blandulus auri:
Me potius, ſacer interpres, te ſimplice cultu
Verba perorantem divina audire juvabit,
Atque inter pueros elementa revolvere prima,
Aurea diſcentem vitæ præcepta beatæ.

Macte puer, firmata virum cum fecerit ætas,
Ipſe ſacramentum Chriſti jam miles adultus
Suſcipe: militiæ ſub eo tolerare magiſtro
Diſce rudimenta atque novis aſſueſce triumphis.
Votivæ pietatis adeſt Eccleſia teſtis;
Quin et Apoſtolicum ſervans ex ordine ritum
Antiſtes mitratus adeſt, non irrita vota
Concipiens, poſitaque manu ſuper, *Hoc tibi, Chriſte,*
Addictum defende caput: tum tu quoque, fili,
Macte nova virtute, Deuſque incepta ſecundet.

Ecquis vera cupit ſocialis gaudia vitæ?
Oderit impuram venerem, vetitoſque hymenæos,
Concubituſque vagos, neque turpi peccet amore:
Sed puro de fonte fluat ſincera voluptas;
Connubiique adeo, qui junctas continet omnes
Unus amicitias, caſtum experiatur amorem.

524 Confirmatio. 535 Matrimonium. At

At ne te pudeat profiteri nomen honeſti
Fœderis, O! virgo; jamdudum ſponſus ad aram
Te vocat, increpitatque moras; jam rite Sacerdos
Sacra parat, ſancti jus inviolabile lecti
Commendans, dextramque perenni fœdere dextræ
Conjunctam, digitoque addicti pignus amoris
Vinclum aptans omnique auro pretioſius aurum:
Et gaudere jubet diſcedens non ſine votis:
"Vivite felices, irruptaque nectat amore
"Copula concordes animas dum vita manebit."
Quale Sacerdoti tali pro munere munus,
Sponſe, dabis?—Nec te, O! magnis erepta periclis,
Pœniteat, toties impune puerpera mater,
Lucinæ meminiſſe tuæ melioris, ad aras
Rite Deo grates votivaque dona ferentem.
Sic vobis parili cum laude ſimillima proles
Floreat: illa ſimul creſcet, creſcetis amores.
Quiſquis es, O! vitæ finem ſpectare memento:
Diſce mori, ſubiens moribundi limen amici:
Ille miſer dubiæ fluitat ſpe pendulus horæ,

550 Purificatio. 556 Ægrotorum viſitatio.

Et, propiora videns gemini divortia mundi,
Impatiens cæco curarum fluctuat æſtu,
Præteritæque memor vitæ metuenſque futuræ.
O quis in extremo diſcrimine ſublevet ægrum?
Quæ panacæa valet tantos lenire dolores?
Ecce vocatus adeſt mæſta pietate Sacerdos:
Ille bonus medicas voces & verba miniſtrat
Triſtia curarum mulcens, animumque labantem
Erigit, oſtenditque novum poſt nubila ſolem,
Sidereaſque domos, & lucida regna piorum:
Huc procul aſpirare et ſpe præſumere cœlum
Haud vanus monitor docet, & prece ſedulus inſtat;
" Chriſte Deus, miſerere, tuo de lumine lumen
" Afferat irradians ægræ ſolatia menti!
" Puraque tranquillent fugientem gaudia vitam!
Nunc ades, extremo fratrem comitatus honore:
Aſpice, procedit pullati pompa doloris,
Siſtitur et tumuli lacrymabile funus ad oram:
Non conducta canit præſcriptum Præfica luctum,
Non Præco titulos mendaci voce recenſet:
Sed pius orator vocat ad cæleſtia mentem:

Vita caduca, vale: mortalis floſculus ævi
Jam viget, et jam nunc moritur ſucciſus aratro,
Præterit umbra levis, laſcivaque tranſit imago.
Proh dolor! in media viventes morte tenemur!
O miſerere, Deus! vitam ſperare futuram
Da, pater, æternique horroribus eripe lethi!
Nunc O! ſic poſitum tumulo ſubmittite corpus:
Sic redit in terram moles terrena parentem,
Et cinis in cinerem fato revocante priorem!
Ter projecta ferit crepitans lugubre ſonanti
Deſuper impulſu tabulatum gleba cadaver:
Ter lacrymas gemituſque ciet triſteſque ululatus
Heu moritura ſuper crudeli funere conjux.
Tum primum rigidi miteſcere corda coloni,
Aſperaque inſolitis humeſcere fletibus ora.
Ergo erit illa dies, cum te, venerande Sacerdos,
Te tua fata premunt, longique laboribus ævi
Defunctum nox ſera manet? — Jam frigida greſſu
Obrepens, ceu triſtis hyems, fallente ſenecta
Membra minutatim morbo collapſa fatigat,
Affigens lecto morituri debile corpus.

Qualis humi laſſa cervice recumbit ariſta,
Quales maturi labuntur ab arbore fructus,
Talis ei juſto decurrit vita tenore,
Qualis ab incepto proceſſerat, et ſibi conſtans
Ad notam properat declivi tramite metam.
Quin et in extremo diſcrimine mitis eunti
Sternit iter placidum duro patientia riſu, et
Recti conſcia mens, et ſpes præſaga futuri.
Non queruli gemitus, non mæſtæ nubila frontis
Apparent, ſed cuncta ſedent tranquilla, quieſque
Aſpera demulcens, ſupremo in fine, laborum,
Occiduo ceu ſole diem claudente ſerenum.
Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas
Et vitæ mortiſque vias, cœlique profunda!
Fortunate ſenex, ergo tua vita recedit,
Et tibi longa ſatis, quia non ſine laude peracta.
Ergo nec lethi, qui cætera territat, horror
Mente quatit ſolida. Pauli jam cerno triumphum
Morte ſuper domita et vacuum terroribus orcum.
Qualis Hebræorum ductor jam morte ſub ipſa
Impavidus Nebonis adit fatale cacumen,

618 1 Cor. 15. 620 Deut. 32 &c. Viſurus

Viſurus longe promiſſa Nepotibus arva ;
Atque ibi, venturæ lætatus imagine ſortis,
Mortales viſus occulto funere fallit,
Juſſa Dei quocunque vocant revocantque ſecutus.
Tu quoque, die ſenex, extremo in limine mundi
Regna Palæſtinæ cæleſtis, et arva Beatis
Proſpiciens promiſſa, velut peregrinus et exſul
Tranſilis hæc pedibus ſubjecta, et corporis ultro
Dejicis exuvias vitæ cœleſtis amore.

18
57
SEP